

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Verecundia d cum fonte primo

Verecundia

cum sit omnibus etatibus, personis,
temporibus et locis apta, tamen
adolescentes iuuenilesque annos
maxime decet.

Vt artifex in materia commodiore
melius operari solet, sic uerecundia in
ipso quoque corporis decore plus eminet,
ita tamen ut eciam ipse non sit affectatus
decor corporis, sed naturalis, simplex,
neglectus magis
quam ornatus uel cultus uel expetitus.

Ambrosius ibidem (de officiis libro I.).

Delectauit me diutius in partibus
demorari uerecundiae quia ad uos
loquebar qui aut bona eius ex uobis
recognoscitis aut damna ignoratis. Quae
cum sit omnibus aetatibus, personis,
temporibus et locis apta, tamen
adolescentes iuuenalesque annos
maxime decet.

In omni autem seruandum aetate ut
deceat quod agas et conueniat et quadret
sibi ordo uitae tuae. Vnde Tullius etiam
ordinem putat in illo decore seruari
oportere idque positum dicit in
*«formositate, ordine, ornatu ad actionem
apto»*, quae difficile ait loquendo
explicari posse et ideo satis esse
intellegi. Formositatem autem cur
posuerit, non intellego, quamuis etiam
ille uires corporis laudet. Nos certe in
pulchritudine corporis locum uirtutis non
ponimus, gratiam tamen non excludimus
quia uerecundia et uultus ipsos solet
pudore offundere gratioresque reddere.
Vt enim artifex in materia commodiore
melius operari solet, sic uerecundia in
ipso quoque corporis decore plus eminet,
ita tamen ut etiam ipse non sit adfectatus
decor corporis, sed naturalis, simplex,
neglectus magis
quam expetitus,
non pretiosis et albensibus adiutus
uestimentis sed communibus, ut
honestati uel necessitati nihil desit, nihil
accedat nitenti.

Ambrosius Mediolanensis, *De officiis*, 1,
19 (CCSL 15, M. Testard ed., p.31, ll.1-
20).